

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0618

0616

0622

0612

0627

0607

0667

0567

0717

0517

1117

0117

Ende

Anfang

45

nominatur **Dalmanucha**. Hic fons, ut dixi, non effluit supernis,  
sed per occultum terrae meatum Draconitidem regionem per-  
transit et in pede Libani montis fontem emanantem facit, qui  
fons dicitur **Dan**. Et quod de fonte **Megedan** oriatur **Dan**,  
probant per paleas, quas in fontem **Megedan** effundunt, quae  
effluunt per fontem **Dan**. Et sunt illi duo fontes a se distantes  
sex millibus stadiorum. Fontem vero **Jor** dicunt originaliter  
per gurgitem subterraneum habere aquas ex fluvio alio para-  
disi, qui dicitur **Tygris**. Hi duo fontes, **Jor** et **Dan**, procul  
ab invicem emanant in pede montis Libani, et confluunt in  
unum ante portam civitatis, quae antiquo nomine dicebatur  
**Lachis**, et fit unus fluvius **Jordan**. De hoc civitate **Lachis**  
habemus Joh. 10. et Judicum 18., quod filii **Dan** invenientes  
quietam et opulentam ceperunt eam et combusserunt, et post  
haec eam reaedificaverunt, dantes ei nomen patris sui **Dan**.  
Et erat civitas ultima terrae sanctae ad aquilonem. Ad hanc  
civitatem fuit positum idolum **Micheae**, ut habetur Judicum  
18. per totum. Sed et **Jeroboam**, rex Israel, posuit in eam  
unum de vitulis aureis, et jussit, ut populus eum adoraret, ut  
habetur 3. Reg. 12. Post multum temporis **Philippus Ituraeae**  
et **Draconitiae** tetrarcha, nominavit eam **Caesarea**, ob rever-  
tentiam Caesaris. Et ideo Matth. 16. dicitur **Caesarea Philippi**. Hanc postea **Graeci** nominabant **Paneas**. Sed hodie nec  
**Lachis**, nec **Dan**, nec **Caesarea**, nec **Paneas** dicitur, sed **Ba-  
lenas** appellatur.

**Jor** igitur cum **Dan** ante portam hujus civitatis coeuntes  
fluvium **Jordanem** faciunt, qui consequenter recedens per  
longum et obliquum circuitum dividit **Ituream** et **Draconitidem**  
regiones, et deinde quandam vallem incidit, in qua  
stagnum colligitur, quod stagnum dicitur ad aquas **Merom**,  
ubi **Josua** prostravit XIV reges, ut habetur **Josuae XI**. Hoc  
stagnum tempore hiemali fit magnum, sed tempore aestivo  
exsiccatur aqua, et crescent ibi arbusta et frutices densae, in  
quibus latitant leones et ursi et aliae silvestres bestiae.

Demum ulterius decurrentes inter duas civitates **Caphar-  
naum** et **Chorazim** facit lacum ingentem, mare **Galilaeae** vel  
mare **Tyberiadis**, sicut **Rhenus** facit lacum **Constantensem**. In  
extremitate autem maris exit ab eo et inter montes **Israel** et

